

B. M. II, ibi.

X 1880716

Lib. VI

h. 43, II.

Ad

S<sup>æ</sup>. REG. MAJ.



REGNIQVE SVECIAE

Senatorem Excellent<sup>issim</sup>.

PER - ILLUSTRUM DOMINUM,

DN. \* \* \* \* \*

De Obligatione

Successorum PRINCIPUM in

Donationibus immodicis, & Debitis  
relictis,

Discussio succincta, remissa per modum  
Epistolæ,

ab eo,

Qui debebat esse, nominum indicio;

Egregius, acris, Compari charus.

Ex Academia Lutherana,

Typis Cosrhederianis.

---

Tacit. Hist. 1, 16.

*Suadere Principi, quod oporteat, multi laboris :  
assentatio erga Principem quemcumq; sine  
affectu peragitur.*



2<sup>o</sup> REG. MAJ.  
REGNIQUE SVEVICAE  
Senatores Excellentissimi  
PER ILLUSTRIS DOMINUM  
D.N. \* \* \* \* \*  
De Obligatione  
Successorum PRINCIPUM in  
Donationibus immobilibus & Rebus



Quid debet esse in iudicio  
Frogius, acusatus  
Ex A. abetina  
Typis C. Scherzinger  
Taurin. 1800  
Lud. Scherzinger, auct. et imp. librarius  
Taurin. 1800  
Lud. Scherzinger, auct. et imp. librarius







## Salutem & obsequia !



Et iisti, Per-Illustris DOMI-  
 NE, qui imperare potuisses, ut,  
 quid *de jure revocandi* PRINCI-  
 PUM *immodicas donationes, &*  
*solvendi debita relicta,* mihi videatur  
*liberè exponerem.* Sive  
 quòd meditamenta mea, qualiacunque tandem, nupera  
 Tibi non displicuisse indices; seu specimen requiras  
 ingenuitatis meæ, aut notitiæ (quam vix apud me depre-  
 hendo esse mediocrem,) in rebus istiusmodi ad mo-  
 menta valdè ardua spectantibus. Obsequii solius glo-  
 riam tuebor certè; si, quod scribo liberè, liberaliter ac-  
 cipiatur. Nec enim verecundiæ modestiæque limites  
 migrabo; nec, quæ aliorum aut sententiæ aut verba  
 sunt, pro meis venditabo placitis; acturus primò de  
 Donationibus, & parte alterâ de Debitis.

\*  
*Occasio ac  
 Propositio  
 Auctoris.*

Divino humanoq; jure revocabiles donationes Ma-  
 ximorum PRINCIPUM frequentiores debito & largio-  
 res æquo esse, dum (quod primam partem attinet,) af-  
 firmas, DOMINE, ad locum provocas *Ezechielis cap.*  
*XLVI, 16. 17. Sic dixit Dominus Deus: cum dederit*  
*Princeps donum alicui de filiis suis in hereditatem, ipsa*  
*hec possessio filiorum ejus erit. Et cum dederit donum*

\*  
*Affertio &  
 probatio  
 Patroni.*

A

de



de hereditate sua uni de servis suis, erit illius usq; ad annum libertatis, & revertetur ad Principem; veruntamen hereditas illius filiorum ejus erit. Noster ita reddidit Lutherus: So spricht der Herr Herr: Wenn der Fürst seiner Söhne einem ein Geschenk giebt von seinem Erbe, dasselbe soll seinen Söhnen bleiben, und sollen es erblich besitzen. Wo er aber seiner Knechte einem von seinem Erbtheil etwas schencket / das sollen sie besitzen, bis auff's Frey, Jahr, und soll alsdenn dem Fürsten wieder heim fallen; denn sein Theil soll allein auff seine Söhne erben. Non hinc mihi partes tribuam Interpretum S. S. dicam tamen liberè: *Theologiam parabolicam non esse argumentativam.* A quadragesimo Prophetæ hujus capite ad finem usque recensentur talia, quæ visa in ἐνστάσι sunt. Quid hinc *Vinmarienses* annotaverint Commentatores, notum est. Ponamus esse etiam historica; non hinc tamen de donationibus immodicis, sed de donis generatim agitur. Nec fundamentum juris, nec jus ipsum ad abolita forensia Hebræorum referendum, nostris amplius temporibus ac moribus respondet. Debebant, ex præcepto Dei scilicet, Levit. XXV, 10. & 12. anno quovis Jobelæo manumitti servi, per favorem libertatis; & propter rationes alias vel pignori oppositæ, vel venditæ possessiones ad priores dominos aut hæredes etiam reverti. Quæ omnia nec pertinent ad gentes alias, nec Christianos Principes ac populos. Conferatur pariter eò ad Ezech. cap. XLVI. post *Villalpandum Hector Pintus*; qui uterque tamen non pro meritis materiem de revolutionibus bonorum anni Jobelæi persecutus est. Quin faciamus insuper, morale aliquid subesse, aut ad minimum ἀνάλογον; & conce-

\*  
 Responsiones  
 cum exceptionibus  
 Autoris.



concedamus, ordinariè id licitum fuisse Hebræorum  
 Regibus: *An Capitulatio illa* (voci veniam hinc exora-  
 mus,) *qua describitur 1. Sam. Cap. VIII. norma erit omni-  
 um ubiq; Regum Principumq;?* Haud opinor. Nolim  
 equidem eò delabi, ut per *לְמַלְכֵךְ עָשָׂה* factum saltem,  
 non jus Regis potius intelligendum esse asseram. Mo-  
 lesta, non tyrannica ibi vendicantur Regi Hebræorum,  
 ad salutem publicam, & ad necessitatis casum partim  
 restringenda. Æquum est propterea, ut subditorum  
 filii ac filia in expeditionibus honestis atque necessariis  
 salutis publicæ inserviant custodi, decimæque frugum  
 redeant ad Principem. Et fuerat recepta juris hujus  
 formula à populo per publicum consensum, & sanctif-  
 simo in loco custodita. Sed nec onerosum omne il-  
 legitimum; quantumvis pœnæ loco regimen immif-  
 sum illud etiam dicatur Oseæ cap. 13. ut uberrimè verif-  
 simèq; id excussit (nucleus, non palea Theologorum,)  
*D. Hülfemannus* in extens. breviar. Theol. c. 20. à p. 389.  
 ad 394. Dicam liberè: nec hunc, nec illum locum com-  
 modè adduci, & à Judæorum statu penitus incompara-  
 bili ad nostras aliasq; rerum publicarum applicari pos-  
 se formas.

Jus Reg.  
 Hebr. asseri-  
 ritur ex 1.  
 Sam. c. VIII.

A divino jure igitur descendimus ad alia. Naturæ  
 illud silet, nec determinavit à priori quicquam. Lo-  
 quitur Civile passim, dum de *Obligationibus, Successio-  
 nibus, donationibus, restitutionibus in integrum, alie-  
 nandi modis,* & similibus prolixè agit. Mille allegata  
 legum & auctoritatum sine ratione, sine mente cumu-  
 lant eò commētatores sæpè, & feliciter exscribunt more  
 solito non pauci. Sed Regnorum Principatumq; con-  
 troversia, aut Majestatis eminentiora jura *Titulis Roma-*

\*  
 Non standè  
 hic privati  
 juris LL.





nis *Et in usq. privatorum maximè vertendis* non sunt obnoxia; nec vim festucariam Prætoris reverentur: cum hic non de stillicidiis, aut fervientis prædii oneribus, nec jure luminum agatur. Ut adeò ridendi potiùs, quàm operosè convincendi sint, qui, dum de Regalibus, de jure belli, de dominio eminenti, de avtocratia, de mari libero clausorè disceptatur, ad privati & Romani juris Leges, velut ad oracula confugiunt. Quam in rem multa dudum annotârunt *Strauchius, Zieglerus & Conringius*, majores magnis etiam encomiis Scriptores, a libi. Quod omne accuratiùs pernocti, DOMINE, ac opportunè mones, si vel maximè in locis aliis definiendum per civiles Leges foret, in Regno tamen Sveciæ easdem nec attendi, nec admitti. Aliunde igitur petenda rerum argumenta sunt, quæ à Regnorum gentiumque moribus ac consuetudine ducuntur; & morali- bus principiis, fluentibus ex jure naturali, stringunt arctius dissentientes.

\*  
*Donationū  
 effusissimarum in Imperatoribus Romanis & aliq. exempl.*

Referamus igitur exempla & illustriores casus ex Historia antiqui, medi, ac recentioris ævi; postmodum dijudicemus, & sententiam (si tamen liceat,) feramus. Quid Imperio Romano majus? quid Imperatoribus in eo? In Neronianis gestis etiam occurrit, quod meretur observationem. Annis etenim prioribus non pessimorum morum videbatur Princeps. Nihil largitionum semper fuerat, nec in benè meritos solummodò, sed etiam in indignissimos mortalium. Quæ causa satis efficax Imperatori *Galbæ* vila est, cur (ut *Suetonius* in *hujus* vita scribit, c. 15.) *Neronis liberalitates revocandas curaret exigendasq. ut, si quid scenici aut Xystici donatum olim vendidissent, auferretur emtoribus,*



ribus, quando illi pretio absumto solvere nequirent. Altius hoc repetendum est ex Tacito. Immanes etiam in præceptorem Senecam largitiones cumulaverat opesq; Nero. Annalium laboraret fides, nisi in Annalibus coævi ferè Taciti (lib. 14. c. 53. seq.) confiteretur Seneca ipsissimus: Quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tue admotus sum; octavius, ut Imperium obtines: medio temporis tantum honorum atq; opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. Tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti. Tibi est animus (regerebant inimici Aulici,) ille modicis contentus? Tales hortos instituit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spaciis, tam lato fœnore exuberat? Una defensio occurrit, quòd muneribus tuis obniti non debui. Sed ulterq; mensuram implevimus; & tu, quantum Princeps tribuere amico posset, & ego, quantum amicus à Principe accipere. Cetera invidiam augent, quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet; sed mihi incumbit, mihi subveniendum est. Hactenus non vapulasset Nero, quòd in pueritiæ adolescentiæque suæ formatorem Senecam tam liberalis, nisi simul nimius fuisset, & in pessimos tam prodigus. Prætoriano quippe militi, qui imperii administrabat libros, dari jussit centies sestertium, seu aureorum C. millia. Admonitus ab Agrippina matre, ut, si in uno loco tantum pecuniæ intueretur cumulum, poeniteret forsitan, interrogavit, quantum esset numeratum? cognitâq; summâ, eam duplicari jussit: Non enim putavi, inquiens, me tam exiguum dedisse munus. Aureorum vicies centena mil-

\*  
Neronis liberalitas in Senecam, hujusq; excusatio.





na millia, seu bis millies sestertium pro munere concessit *Teridati* capto beneficiarioq; Regi.

Longissimum enumeratu foret, quot myriadam myriadas in ludos, in spectacula, in liberos, obsoletos, hominum prostibula, & in *Sabinam* suam, *Othoni* collocaram, ut cum ea coleret societatem adulterii, impenderit. De quibus singulis ex instituto in *Neronis* vita *Dio Cassius*, compendiosè egit *Xiphilinus*. Non melior hâc parte Antecessor ejus *Claudius*; qui & *Narcissum* ab *Epistolis*, & à rationibus *Pallantem*, Senatûs etiam decreto, præmiis ingentibus ornaverat, passusque erat tantum rapere & acquirere; ut querente quondam *Cæsare* de fisci exiguitate, non absurdè dictum sit: abundaturum, si à duobus *Libertis* in consortium reciperetur. Sic in vitâ *Claudii Tranquillus*, c. 28. Post mortem *Claudii* sublatus est *Narcissus*, (teste *Xiphilino* in de *Claud.* extrem.) homo illis equidem temporibus potentissimus. Possidebat enim quater millies sestertium, eòq; amplius; & applicabant se ad eum civitates Regesq; Aureorum plus quàm quadragies centena millia, pro ministro unico *Liberto*, statuit *Budæus*.

Galba me- fecerat, effusiones istas retrahendo, Cuncta, ait Tacitus  
ritò Nero- tus Hist. I, 20. ) scrutantibus justissimum visum est,  
nianas su- inde repeti, ubi inopie causa erat. Bis &  
stulit dona- vicies millies sestertium donationibus Nero  
tiones, sed effuderat. Appellari singulos iussit, decumâ parte  
non satis ac- liberalitatis apud quemq; eorum relicta. At illis vix  
curatè, decimâ superportiones erant. At amen grande gaudi-  
um,



um, quòd tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quàm quibus abstulisset. Ad quem locum annotavit non ubique obvia nonnulla Italorum acutissimus Trajanus Boccalinus, supra il primo libro delle Storie di Cornelio Tacito; & in Boccalinum pariter Signor Cavalier Ludovico de May ibidem loci p. 117. & seqq. A quibus mutuari nobis liceat in usus nostros aliqua deinceps sparsum. Meritò hæc, inquam, Galba revocavit; sed non satis providè. Nam etsi (scribit Dion in ejusd. vita,) esset continens, & in pecunia coacervanda inexplebilis, ὡς τὸ μὲν δὲ γὰρ εἶναι, οὐκ ἀλλ' ὀβολὸς χαίρειν: Libertis tamen suis permittebat omnia. Itaque Galba licet ipse nihil faceret per injuriam, tamen quòd sineret illos facere, aut ea, quæ ab aliis gererentur, ignoraret, malè audiebat. Accusat parci Senis liberalitatem quoque Tacitus, & nimiam severitatem; cui pares jam non sumus, inquit, Hist. 1, 19. Et Sueton. in vit. c. 15. Cùm curasset revocandas Neronis liberalitates, contrà nihil non per comites atque libertos pretio addici aut donari gratiâ passus est, vectigalia, immunitates noxiorum. E vectigalibus remissas quoque quadragesimas fuisse, à numerorum fide comprobatur Casaubonus in notis ad hunc locum. Senatoriæ prudentiæ particulam exprimit Xiphilius scribens: Etsi satis est hominibus privatis, nullam facere injuriam: tamen Principem oportet providere etiam, ne ceteri faciant: propterea quòd nihil interest eorum, qui injuriam patiuntur, à quo eam acceperint.

Interest, ut Galba successorem nunc Vitellium sistamus. Hic solstitialis ille Imperator fuit, qui cupidus Vitellianis nomen dedit, & in coenas novies millies sestert-

\*  
Prodigiosè  
prodigus Vi-  
tellius.



sestertium, & in unam patinam argenteam amplissimam linguis, cerebellis & jecoribus cum delicatiorum avium, tum piscium refertam, decies sestertium, aureorum nempe X. milla, profudit; *Xiphilino* teste. Ac ne quis gulonem saltem & incomparabilem ciborum decoctorem statuatur *Vitellium*; similia, si non atrociora apud *Tacitum* inveniet *Historiar.* 3. 55. Ipse nihil è solito luxu remittens, foedera sociis, Latium externis dilargiri; his tributa dimittere; alios immunitatibus juvare; denique, nulla in posterum cura, lacerare imperium. Vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercabatur: apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari, neque accipi, salva republica poterant.

\*  
Titus Vespasius  
justè libera-  
tis fuit.

*Titum Flavium, Vespasiani* peravari Patris liberalem summâ laude filium, non patiar in numerum reponi prodigorum. Præterquam enim quod sit nihil æquè regium, imò divinum potius, quam beneficia bene meritis tribuere; hic naturali quâdam bonitate genioque comi faciliqve ductus, ea sæpius indulgit aliis, quæ sibi & deliciis subtraxit suis. Nil *Dio Cassius*, nil *Tacitus*, *Svetonius*, aut alii memoria de eo prodiderunt, quod benefaciendo patrimonium Imperii exhausserit. Servabat modum *Titus*, quantum scilicet & cui dandum esset. Qui indignis quippe largiuntur, quæ in benè meritos debebant potius conferre, tria maxima absurda patrant. nam & ipsi faciunt jacturam, & in bonos contumeliosi sunt, & malos roborant, materiâ suppeditatâ vitiorum,



Et hinc est, quod scripserit *Suetonius* in *Tito* cap. 8. In ceteris eum desideris omnium hominum obstinatissime tenuisse, ne quem sine spe dimitteret. Quin & admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam prestare posset: non oportere, ait, quemquam à sermone Principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die prestitisset, memorabilem illam meritoq; laudatam vocem edidit: AMICI, DIEM PERDIDI. Idem sentiendum, si non gloriosius quid, statuiam de Optimo *Traiano*. Qui cum beneficeret affectu & effectu plurimis, parcissimus suorum beneficiorum aestimator erat; cum congiaria donativaque & alimenta daret publicè; cum nunquam merita supprimeret, & rationem de impensâ redderet itinerum; cum laude beneficioque nullum temporis momentum sterile traduceret, doctorum summus fautor, meruit, ut laudes ejus nullo intermorianantur evo.

Prolixissimum futurum esset, & ab instituto nostro alienum, si ad plures alios digrederemur *Cæsares*, exposituri quas quantasque in civiles partim, & potissimum in militares atque theatrales, rariùs in eruditos homines, donationes exercuerint *Severus*, *Elagabalus*, *Julianus*, aliique. Multa in illorum vitis de his singulis *Herodianus* in *Historiarum* libris. Memorabile præ reliquis videtur, quod de *Alexandro Severo* memorat Imperatore *Ælius Lampridius*, dum compellabat eos, qui aut minimum, aut nihil à se petiissent, dicens: quid est, cur nihil petis? an me tibi fieri vis debitorem? pete, ne privatus de me conqueraris. Nunc dierum, multi equidem *Severi*, pauci *Alexandri* tales amplius

\*  
*Trajanus*, a-  
lius adhuc  
modis super-  
avit *Titum*,

Et secutos  
alios.

B

super-



superfunt. Nisi forsitan hâc parte filium Macedonis *Philippi* imitentur, qui, postquàm discum ossibus refer-  
tum dono miserat *Diogeni*, responsum tulit: *cibum,*  
*quidem Cynicum, sed donum minimè fuisse Regium.*

\*  
*Constantini*  
*M. laus in-*  
*genua.*

*fraus Ponti-*  
*ficia Dona-*  
*tionis patri-*  
*monialis.*

Inter felicissimos piissimosque Cæsares, gavisos  
*Christi* nomine, eminent in primis *Constantinus Magnus*; de  
cujus laudibus virtutibusque quicquid hîc adjicere-  
tur post *Eusebium* in vitâ ejus, postque *Socratem*, *Sozo-*  
*menum*, *Evagrium*, *Theodoretum*, *Ruffinum*, meritò re-  
ferri inter noctuas Athenas missas posset. Accense-  
tur vulgò inter liberalitatis & munificentia illius maxi-  
ma elogia Donatio Italiae, & plurimarum Occidentis  
partium *Sylvestro* Papæ facta scilicet à *Constantino M.*  
Sed convitium Imperatori faciunt magnanimo, qui  
tabulas donationis fictæ, nunquàm factæ, jactitant per  
suas paleas Pontifices in *Jur. Can.* part. 2. decret. dist. 96.  
cap. 13. & 14. Cum de ea nihil referant *Euseb.* *Am-*  
*brof.* *Sozom.* *Damasen.* minimè silentio pressuri mu-  
neris nobilitatem. Filiis legavit tribus ac distribuit Im-  
perii partes atque Principatûs; qui hæredes postea in  
Oriente ac in Occidente istis summo jure præfuerunt.  
Si nec *Aventino* l. 2. *Bojoar.* *Hottomanno* in brut. fulm.  
*Gentiletto* in Apolog. *Vasquio* in qq. *Illustr. Bolognin.*  
ad Avthent. hab. C. n. f. pro p. n. 51. *Baron.* in Annal.  
Eccl. tom. 3. ad A. 1191. *Covarruvieg.* l. 4. Var. resolut.  
c. 16. n. 8. haberi fides equidem deberet; habeatur ni-  
hilominùs *Ænea Sylvio*, Pontifici Rom. *Pio II.* & *Lauren-*  
*tio Valle*, qui libro integro peculiari ante duo secula  
conscripto Romæ, somnia & fabulas perstrinxit acriter.  
Ut non sit, cur de possibili ejus revocatione laboremus;  
quin cum Oratore Veneto, *Hieronimo Donato* acutè re-  
spon-



spondenti *Alexandro Borgia* dicamus: *facilmente si può trovar la cessione del mar l' Adriatico, se la donation del Constantino M. l' altra parte della charta di donativa qualcuno riguarderebba.* Facile nimirum reperiri posse cessionem maris Adriatici, si donationis Constantini M. partem in membrana alteram quis adspexisset.

Seriem Imperatorum suprà in exempla casuum *Lotharius* elegimus; interque eos primus extitit (*Lebmanno in-Saxo pro-* dice in Chron. Spirens. l. V. c. 45.) *Lotharius Saxo*, qui *digus Impe-* patrimonium Imperii per immodicas profusiones dif- *riales patri-* sipavit in Pontifices Romanos. Curam gessit Legum, *monii.* Regum jura habuit incuriosius. Ante eundem, quicquid à Romana cathedra allegabatur, pertinebat vel ad ficta, vel ad facta maximè tyrannica, non ad Imperii alienata jura. Quam enim *Baronius* ad Ann. 962. proferre audet tabulam *Ottonis M.* nomine signatam, falsa penitus est illa & absurda. Veluti & ista, quam *Ludovico Pio* alioqui tribuunt Romanæ Aulæ affectæ; *Mor-* *nayo* teste, in *Mysterio Iniqu.* p. 337. *Petro principi A-* *postolorum, & vicario illius Domno Joanni, Summo Pon-* *tifici & universali XII. Papæ, Civitatem Romanam cum tentiones* *Ducatu suo atq. suburbanis viculisq. omnibus ac terri-* *frivole,* *toriis, montanis & maritimis, littoribus & portibus, &* *cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis, Tusciae par-* *tibus, largimur & c. nec non Exarchatum Ra-* *vennatem sub integritate cum urbibus, civita-* *tibus, oppidis & castellis; que pie recordationis Domnus* *Pipinus (risum teneatis amici!) & Domnus Carolus, ex-* *cellentiss. Imperator, Prædecessores videlicet nostri, B.*



Petro Apostolo & predecessoribus vestris, jamdudum  
 per donationis paginam contulerunt. Hoc est, Civita-  
 tem Ravennam & Aemiliam, Bobium, Casenam, Forum  
 populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Fer-  
 rariam, Comiaculum & Gabellam, cum omnibus finibus,  
 territoriis atque Insulis, terrâ mariq; ad superscriptas  
 civitates pertinentibus. Simul & Pentapolim;   
 videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, A-  
 meriam &c. Eodem modo Territorium Sabinense;  
 item in partibus Tusciae Longobardorum \* \* \*. Cum  
 omnibus & territoriis ac maritimis oppidis ac viculis  
 seu finibus omnibus, \* \* \*. Nec non & cunctum  
 Ducatum Spoletinum seu Beneventanum unâ  
 cum Ecclesia S. Christinae, positâ propè Paduam juxta  
 Padum. Tædet propter impudentiam mendaciorum  
 plura addere de Calabria superiore ac inferiore, de Ci-  
 vitate Neapolitana cum castellis, territoriis, & finibus,  
 de patrimonio Siciliae, de Cajeta, de Civitatibus Reata,  
 Amiserno, Furcone, Nursia, Balva, Marfi & similibus. &c.  
 Jam enim factum satis dudum à Conringio his esse affa-  
 niis in Finibus Imp. lib. I. cap. X. Constat equidem,  
 Baronium ad Ann. 1133. adducere conditiones Caesaris  
 Lotharii cum Innocentio II. Papa paciscentis. Sed nec  
 Fridericus I. Imperator passus unquam fuit in Pon-  
 tificum recidere jura territoriaque tot & tanta; (ut ex  
 Radevici l. 2. cap. 10. & Guntheri Ligurino, liquet l. 9.)  
 nec omninò derogant Imperio donationes istiusmodi  
 non absolutè factæ; sed ubique salvâ jurisdictione  
 Caesaris; nec essentialis requisiti vitium aut defectus  
 solâ

Eliduntur  
 breviter.



solâ temporis longissimi præscriptione in his sacris  
convalescit. Quo de argumento plura suo allaturi  
sumus loco. Hic enim τὸ ἰσοπέδον sectamur ma-  
ximè.

In Catalogo Imperatorum reliquorum donati-  
vus adeò post tempora *Lotharii*, & quidem suâ sponte  
deprehenditur *Rudolphus I.* Testem ipsum Cæsarem  
appello *Maximilianum I.* qui Principibus aperuit e-  
dicto, 13. Cal. Augusti *Oenobrigæ* scripto Ann. 1511. apud  
*Aventin.* lib. 7. Annal. Bojar. quemadmodum *Raven-*  
*natensem* Exarchatum, *Bononiam* præfecturasque &  
Ducatûs, urbes plurimas Italiae ac regiones tributarias  
Imperio concesserit Romanæ sedi. Plura referent  
*Nawcler.* vol. 3. Chronogr. gen. 43. Abbas *Trithemius* in  
*Chron. Hirsaug.* ad Ann. 1276. quid per Cancellarium  
pecuniæ colligendæ causâ missum in Italiam contige-  
rit apud *Florentinos*, *Lucenses* aliosque; & qui instar  
omnium esse possit hic, *Goldastus* in *Reichshandlung-*  
*gen* / præfat. ad Ducem *W.* Nonnullâ tamen parte,  
propter pietatis studium, & in Ecclesiam amorem pla-  
nè singularem, Imperator alioqui laudatissimus vide-  
ri posset excusandus, si pecuniæ non simul locum ali-  
quem fecisset. Notum tamen est, *Imperium religio-*  
*nem peperisse, aut fovisse, & à filia fuisse devoratam ma-*  
*trēm.* De lana quippe semper studiosiùs, quàm pa-  
stu ovium est actum *Romæ.* Ut Poëta nescio quis scri-  
pserit acutè:

*Si caput à capio; vel dixeris à capiendo:*

*Romæ caput tunc est; omnia namq; capit.*



*Carolus IV.* *Carolus IV.* Aurea conditorem Bullæ, propter  
 quantū per tot donationes ac alienationes, *Maximilianus I.* nun-  
 alienationes quam sine laude nominandus Cæsar, alterum appella-  
 varias Imper- re *Crassum, Imperii Vitricum & dissipatorem* solitus est,  
 rio detraxe- *Conringio* notante 2. de Finib. Imp. c. 19. p. 377. Pau-  
 rit? ca quidem, sed huc tamen facientia *Jacobus* attulit  
*Lampadius* part. alt. de Rep. Rom. §. 12. *Carolus Quar-*  
*tus*, inquit, qui illicitis artibus rerum potiri cœperat,  
 & filium *Wenceslaum* quibuscunq; conditionibus ad Im-  
 perium extollere satagebat, lege latâ, quæ *A. B.* nomine  
 jam celebris est, plurimum pristinae Majestati detra-  
 xit. Sustulit, fateor, divino consilio dissidia, quæ in  
 electionibus antea accidere consueverant: sed Cæsarum  
 opes ac patrimonia exitiosissimo exemplo ferè distra-  
 xit. Querimoniam prolixiorē longè deprehendes  
 de eodem apud *Aventinum* lib. VII. Annal. Boj. n. 10,  
 20, 30. f. 639. Quanquam verò habeat, per quos ex-  
 cuset se prætextûs, *Carolus*, in vita à seipso equidem de-  
 scripta, editâque à *Viro* quondam eruditionis solidif-  
 simæ *Reiner, Reineccio* Helmstadii Anno 1585. Fa-  
 tendum tamen est, quod notat *Cranzius* lib. X. Sax.  
 cap. 3. evisceratum ab hoc *Carolo* Imperium, & deplu-  
 matam Aquilam in tantum, ut cæteris sit  
 animantibus contemptui. Ac nolo dicere,  
 quid ad *Guntberi* lib. V. Ligurin. scripserit *Spigelius*  
 ex ore *Maximiliani*. Memorabilis oratio videri po-  
 test *Julii Pflugii*, Episcopi olim *Numburgensis*, propter  
 animi excelsi ornamenta *Carolo V.* per quàm chari. Sic  
 autem inter alia ipse: *Quanquam* Princeps hic sta-  
 tuebat,



tuebat, se Imperium beneficiis multò faciliùs, quàm vi atque armis tenere posse; decessit tamen non parum de publicis Imperii facultatibus atque emolumentis. Quin ab eo tempore indies magis ac magis extenuata fuerunt jura atq; vectigalia Imperatorum nostrorum; ut post Carolum IV. publico nostro, & vectigalibus Imperii non modò non nervos bellorum, sed ne pacis quidem subsidia ampliùs Imperatores nostri habuerint. Consultatur etiam *Lebmannus* 5. Chron. Spirens. 95. & lib. 7. cap. 40.

Jam quid de *Wenceslaofilio* illius atque Successore, inter alia, hoc quoque nomine exauctorato arbitrabitur? Ex hoc libello publico, quo *Wenceslao* dignitas Cæsarea detracta fuit, inter plures abdicandi causas etiam hanc Electores attulerunt: Complures urbes terrasq; tam in Germania, quàm Italia ad Imperium pertinentes alienavit, parùm pensi habens, ut eas retineret. Idem insimulant *Wenceslaum*, quòd perniciosè mutilasset Imperium, & mutilum reddi permisisset, dum ex vicario Imperii creaverat Ducem *Mediolanensem*. Paucissima *Cuspiniani*, sed pungentia sunt verba: factus est Rex iners inertissimus, (*der faule Wenzel*;) in vita *Wenceslai*. In *Saxon.* lib. 10. cap. 3. *Cranzius* sic judicat: Aliquando meliùs actum esset cum Imperio, si neq; pater, neq; filius in eo fuissent. nam pater largitionibus, ut filium extolleret, filius ignavus, dissimulationibus Imperium attrivere, inq; eam tenuitatem, quæ nunc cernitur, adduxere. Elogia id genus alia ex *Aeneæ Sylvii* historia Bohemica, ex *Theod. à Niem. Nauclero* & *Dubravio Clüverius* collegit in *Epit. hist. univ.* quæ

\*

*Wenceslaus*  
omnium in-  
felicissimus  
Imperii de-  
coctor.



quæ, cum sint obvia cuivis, hic prætereunda duximus.

\* Hoc demum seculo existimant fuisse Cæsares adstrictos juramento, ne quid paterentur Imperio decedere, quàm plurimi. Sed tertiodecimo jam seculo adactos sacramenti formulâ fuisse ipsos, certum, est ex historia *Ottonis IV.* quam enumerat *Matthæus Paris* ad Ann. MCC X. & ex hoc *Conringius* noster in Præclaro opere de Finibus 2, 19. quòd memor juramenti Romanorum Imperator *Otto* DIGNITATES IMPERII CONSERVARE, ET JURA DISPERSA PRO POSSIBILITATE SUA REVOCARE VELLE. Fuit hoc essentielle caput aliquod Capitulationis ita dictæ, plenius *exorte* vel *exacte* postmodò, cum *Carol. V.* legeretur Imperator. Ut mirer adeò, cur hic tantoperè hæsitaverit *Limneus* in prolegom. Sect. 3. de Capitulat. Imp.

\* Quicquid tamen sit, pro certis concessisq; habeo, ex illo tempore non ausos (saltem id apertè) nec gavisos Cæsares fuisse, patrimonialia Imperii vendendo donandove alienare, sine Ordinùm consensu. Id causæ fuerat, cur publicâ & unanimi consensione, cum à Rege Christianissimo Episcopatus celeberrimi *Metensis, Tullensis, & Virodunensis* peterent Anno cl. lxxc XLVIII. per Instrumentum Pacis in Westphalia sancitæ; & eodem Anno, d. xxiv. Octobris, cum in vicem compensationis bellicorum sumtuum à domo Serenissimâ Austriaca *Brigovia & Alsatia* superior inferiorq; mox & *Philippopolis, Suntgovia, Alsatica Taberna* cum famosis *Urbibus Sylvaticis* exigenterentur, cessio tantarum fieret posses-



possessionum, salvis tamen juribus Imperii, à Capite simul & membris reliquis probata limitatè.

Præter meritum culpamve igitur rectissimi exempli & laudatissimum Imperatorem *Ferdinandum I.* ausus est *Trajanus Boccalin.* sopra il 1. libro delle Storie di *Cornelio Tacito* p. 117. reprehendere: *Mà infelicissimo modo di ritrovar denari fù quello, che fu proposto & essequito da Ferdinando Imperatore, il quale à gli Protestanti di Germania per denari concedè cose pregiudicalissime alla Religione Catolica; & quæ sequuntur.* Improbè *Trajanus Boccalini* hæc adversus optimè meritum de Imperio Romano Cæsarem conscripsit: quasi jura Pontificiæ Ecclesiæ, pecuniæ acceptæ causâ, vendere, pacemq; emere religiosam, & concedere Protestantibus non dubitârît. Momenta rerum longè attulit gravissima. *Sleidanus*, lib. 26. hist. atq; cum *Thuano Hortlederus*, quibus fuerit, vi conscientiæ & officii intuitu, permotus, ut Augustæ promulgaret religiosæ pacis sanctionem, die XXV. Septemb. Anno 1555. De quo præclarissimo factò sæpiùs sibi gratulatus *Ferdinandus* est, *Cratone à Crafftheim*, Archiatro Cæsareo in Epistola præliminari ad *Dubravii* historiam Bohemicam teste; quòd videlicet inter summa, quæ Deus in regimine Imperii largitus ipsi esset, *primum maximumq; vero animi judicio id duceret, quando ad discordias sedandas publicas, & tolerantia Religionis formulam divinitus applicuisset animum.* Add. etiam Imper. Recess. de Ao. 1555. §. *Damit auch obberührte &c.* ac *Petr. Syring.* Tract. de Pac. Relig. Arum. de J. P. volum 2. disc. 10. *Gylmann.* Symphorem. supplem. de Relig. p 185. Inter reliqua Orationis d. V. Febr. A. 1555. habitæ à *Ferdinando* Rege verba urgebatur maximè, *ad Dei gloriam, Imperii tranquillitatem, & salutem patriæ communis pertinere, ut stabiliretur pax Religionis.* Eat nunc in rem suam scriptor mordax, abeat & doceatur meliora.

Ferdi-  
nandus I.  
Imp. à  
calumniâ  
Boccali-  
nianâ vim  
dicatur.

C

Missis



Christina  
olim Svec.  
Regina  
nimia do-  
nationes.

Missis nunc Imperatoribus Romanis, casibusq; & exem-  
plis horum pluribus adductis, superest, ut pariter dijudice-  
mus, quàm vel rectè, vel illaudabiliter Donationes istæ factæ  
sint? Hoc antequàm aggrediamur, Per-Illustris Domine,  
non feres graviter, si *Christina* olim *Sueciae* Reginae vestrae li-  
beralitates nimias attingam. Ita de his ad *Trajan. Boccalini*  
notas Tacitiq; verba, cap. 20. n. 4. hist. lib. 1. Cavalier du *May*  
scribit: *Christina Regina di Suedia, essendo stata*  
*tropo liberale de beni della Corona, verso i nuovi Cavalieri,*  
*che lei stessa creava Gentilhuomini, furono questi costretti di*  
*restituire la maggior parte de donativi, da detta Regina ri-*  
*cevuti; questo atto quantunque giusto, dispiacque à molti,*  
*perche quelli c' hanno ricevuto grazie dai Rè, veggono mal-*  
*volontieri tali giustizie, credendo che si possono estendere*  
*sino alle loro persone.*

Ne ad priora & invidiosa fortè relabamur tempora, ex-  
quisitissimè pernotum, Domine, est Tibi, quomodò illece-  
bris vix numerandis & vaferrimis insidiis artibusque non-  
nullorum Aulicorum expugnata Princeps, non Illustrio-  
res saltem dignitates, sed & municipia, castella, dynastias,  
prædia pagosq; dignis & indignis ad donandum justo pro-  
por concesserit. Exhaustum Regis patrimonium, Regniq;  
& Coronæ sacra dissipata & alienata. Hûc digitum inten-  
dit Scriptor exterus recentior, hæc tangit ulcera. Notârunt  
præter Regni Ordines ac incolas alienigenæ, quanto perè ge-  
rendarum rerum nervis formidatae olim aliis Suecorum,  
vires spoliatae fuerint.

Quid tum ageret Successor novus, Rex naturâ suâ cle-  
mentissimus & fortis, tot implicitus bellorum cum *Polonis,*  
*Danis, Russis, Batavis,* & multis in Germania Summatibus,  
procellis? Ferendum erat scilicet, mutari quod non poterat  
in præsens. Effectum juris Regii in Suecia, de quo infra a-

liquid



liquid sumus allaturi, non causam interverterat aut potestatem mora temporum tristissimorum; quæ auspiciatissimi interpolabant Thalami, aut finiebant. Exprimendis pluribus abstineo, ad Gallos transiturus.

Rara apud hos, si usquam alibi, reperio exempla, propter Regni veterem firmissimamq; legem, de non alienabilibus Coronæ bonis & Domaniis. Domanium & Demanium, quasi *δομῆιον*, seu Dominicum, vocabulo corrupto ex Latinitate Galli nominant *Domaine*, Regis patrimonium. Quam in rem *Hottoman. c. 8. Franco-Gallia lib. 1. de antiquo jure Regni c. 8.* scribit: *Sciendum est, antiquitus institutum fuisse, ut Francorum Regibus non modò Fiscalia illa jura, qualia Romanis Imperatoribus concessa erant, verùm etiam certa fruenda prædia ad Regiam suam dignitatem tuendam assignarentur; quæ barbaro vocabulo DEMANIUM Regium, appellantur, plerumq; autem DOMANIUM. Est enim Domanium Regium, quasi dos Regni; quomodò veteres dicebant dotem prædii; sive ut planius loquamur, quasi quidam usufructus certarum possessionum Regi ad tuendum dignitatis suæ splendorem attributus. Non dispergunt Lilia, sed colligunt in horrea. La loy de France (verba sunt Girardi de l'Etat & succes des affaires de France, lib. 2, p. 175.) porte, qu'un Roy ne peut aliener le Domaine & patrimoine Royal, sans nécessité, & sans le consentement des Estats; & quæ sequuntur. Qui autem Reges fuerint tam liberales in donando apud Francos veteres, non alii occurrunt mihi nunc, præter unum fortè alterumq; *Hlotarium III. Hlodovæi II. filium exauctoratum, & Childericum III. Theodorici II. fratrem, postea in monasterium detrusum, à quibusdam illo nomine adduci scio. Sed inertia, non prodigalitas affecit eos hoc supplicio. Nec temerè præteriturus talia fuisset Sieur de Mezeray en l'Abbrégé Chronologic, tom. 1. haud ita procul ab i-**

Gallorum  
le Domain  
ne aliena  
tioni non  
subest.



**Notatur Ludovicus Pius,** nitio; aut quicumque accuratior Historicus è Gallis. Dabo tibi *Ludovicum Pium*, pro exemplo Regis Francici, sed non Imperatoris, propter dona. Ita de eodem Chorepiscopus *Theganus* scripsit: *Erat in tantum largus, ut villas Regias, quæ erant sui & Avii (Pipini) & eritavi, fidelibus suis tradiderit in possessiones sempiternas.* Nec quicumquam profuit hæc illi liberalitas, cum Imperio se abdicare cogeretur, Clero etiam urgente. Nihilominus isto jam tum tempore in usu legem istiusmodi, de non alienando Regio Domano fuisse, nullus dixerim. Amore brevitatis potius converto memet ad recentiora. *Franciscus I.* Galliarum Rex, Protector Principum Germaniæ exulum, ut maluit audire, affectato sumptibus immensis titulo, de Domano alienavit tantum, ut nulla postmodum Domani superesset ferè mentio. Quem admodum gravissimè conquestus in edicto est *Franciscus II.* tantoperè videlicet afflictas esse opes publicas, ut, quæ prædiatorum subeundis amplius sufficerent. Quamquam testetur de suis etiam temporibus *Bodinus* lib. 6. de Rep. c. 2. p. 1004. conquerendi causam multò graviolem habuisse populos *Francisci II.* tempore; cum nihil amplius, quod posset distrahi, restare videretur. Et à necessitate bellicâ, quæ eum pressit per Italiam & omnem latè Galliam, non parum excusationis merebatur Rex *Franciscus* ille. Filius *Henricus* interim II. nulli quicumquam denegasse, aliquid à se poscenti, & XLII. millionum debitis relictis onerasse suos dicitur. *Aut. lib. Les Surintendents des Finances de France.*

• *Transitio ad Hispã. Poloniãq; Reges quosdam.*

Possemus hîc de inauditâ *Alexandri VI.* Pontificis donatione aliquid adjicere, quâ non erubuit in *Indiam Occidentalem*, universamq; adeò *Americam* Hispaniarum Regibus largiri potestatem summam; nisi seria adhuc superessent, & jam olim Rex Peruviæ *Attabaliba* prudentissimè ap. *Benzon.*



*Benzon.* in Hist. Nov. Orb. l. 3. c. 3. judicasset: *Papam insigniter fatuum & impudentem esse oportere, quod is aliena tam liberaliter dilargiretur.* In actis *Alphonfi Sancti*q., nec non in Donationibus, quas *Arragonia* Rex fecerat *Ramirus* & in Reginae *Isabella* factis à se ac rescissis iterum, pariterq; in magnificentiae immensae *Friderici* Regis *Neapolitani* singularibus, quàm plurima se sisterent notatu digna, si aut prolixitati studeremus, aut exscribere haud vereremur *Marianam* in Hist. Hisp. De *Casimiri* (nisi fallor, IV. *Grodna* mortui A. 1490.) testamento partim approbato, partim propter illegitimas donationes improbato, pluribus *Cromerus* egit. Agam ego potius de *Jobannis Casimiri*, ætate nostrâ quondam *Polonorum* Regis memorabili donatione, quæ non parùm auxit fomitem irarum, Regem inter atq; Illustrissimum *Herod*, seniore *Lubomyrskium* recipiatarum. *Rusia* ac *Podolia* Palatinus diem obiit *Zomoiscius Johannes*, sine liberis decedens. Terræ & provinciæ illius uniendæ Regno erant; donantur interim à Rege, nominis ejusdem, sed non sanguinis *Zomoisciani*, Capitaneo cuidam, sine approbatione Senatorum in Comitibus. Deinde interregni tempore ingens possessori novo mota controversia à Regni Mareschallo *Konieczpolscio*, propter potiora jura conjugis, præ *Zamoiscio*. Post plurimas utrinq; lites in conventibus terrarum, tum in tribunalibus, in Regni deniq; Comitibus exactas pro *Konieczpolscio* sic definitum est: *Donacya tych dobr Panu zamoy-skieni od swiezo zmarlego krola Pana naszego kazimierza kassuiemy y powtore te dobra do krolewsz czynny przylaczamy &c.* Sed quò dilabimur, propter tot & tam diversos casus donatorum ac donationum? Relictis igitur historiarum monumentis convertamus nos ad examen & judicium Politicum instituendum, pari brevitate, atq; (utinam) concessâ libertate.



Salomo  
Rex Hie-  
ramo Regi  
Tyr. Oppi-  
da XX.  
quomodo  
concesse-  
rit?

sine popu-  
li, aut Sy-  
nedrii cō-  
sensu.

Si redordienda tela sit, ad Hebræorum, quatenus sub Sa-  
lomone floruit, Rempublicam Monarchicam respicimus. Ni-  
mirum (scribit Hotomannus illustr. quæst. I.) cum Hiramus  
magnam Salomoni pecuniam ad templum edificandum cre-  
didisset, magnamq; prætereà materia vim illi ad idem opus  
vendidisset, neq; satisfacere illi Salomon per id tempus posset,  
de populi consilio XX. oppida fruenda dedit; ut ex eorum ve-  
tigalibus & fructibus suum Hiramus servaret; neq; illa em-  
tionis jure, & ut proprietarius possideret, sed tantum quasi  
ἀντιθεσάμω, aut certè eo jure, quod Longobardi precariam  
appellarunt. Rectè Hugo Grotius l. de J. B. & P. 3. §. 12. vi-  
ginti urbes has non ex numero Hebræarum civitatum esse  
statuit, nam Cabul, inquit, ponitur extra fines Hebræorum;  
Jof. 19, 27. Sed ex iis urbibus, quas populi devicti, hostes Hebræ-  
orum ad eum diem retinuerunt, quasq; partim Rex Egypti,  
Solomonis socer vicerat, & Solomoni dederat dotales, partim  
subegerat ipse Salomo. Malè Hotomannus credidit, fas Regi  
non fuisse, imminuere vendendo, aut oppignorando Regni  
bona, sine populi consensu. Seldenus etenim ostendit ex  
Maimonide, omninò Regem potuisse sine prævio magni Sy-  
nedrii decreto quæsititas alienare terras; de J. N. & G. l. 6. c.  
16. ubi Tyriorum Regi asserit donatas has fuisse civitates.  
Pro quâ Nicolaus etiam Fullerus in miscellaneorum opere  
c. 16. atq; Samuel Bochartus in Geogr. sacr. part. 2. lib. 2. c. 4.  
stant sententia. Nihilominùs reddidisse illas adstruit S. S. 2.  
Chron. c. VIII. Salomoni amicissimum Hiramum. Malè, in-  
quam, Hotomannus credidit, non licuisse Hebræorum Regi,  
vendere, donare, pignori opponere, ad necessitatis legem,  
oppida aut regiones sine populi consilio. Rectiùs R. Isaac  
Abarbenel Dissert. de statu & jure Regio, circ. fin. Rex in ter-  
ra est idem, ait, quod Deus in mundo; iccirco absolutam ha-  
bet potestatem puniendi (apud Hebræos pariter oppigno-  
randi



vendendi, ) *etiam non secundum jura & leges, prout necessitas requirit. Unitas enim ejus in Regno, est sicut unitas Dei in mundo.* Verbo; jura Majestatis omnia administravit solus & Monarcha absolutus fuerat Rex Hebræorum. Quidni ergò illud illi licuisset? nec dicendum, juri etiam Naturæ adversari potuisse *Salomonis* factum; quoniam in patrimonio ac plena habuit proprietate; quæ liberam utiq; alienandi facultatem tribuit. Nec improbasse illud legitur divinum Numen, haud connivere solitum ad inhonesta & Naturæ juri repugnantia. Deinde in herilibus hæc Imperantium est ratio Rebus publ. quæ dominorum aliàs in servos; quorum non requiritur consensus. A dominio herili autem quàm tunc abfuit in Oriente olim regimen? Nobiscum facit hîc *Conringius* de finib. 2. 1. p. 344. & 348. Et, qui ex professo ἀντιτύχου Jus Regium duobus integris descripsit libris supremus Hafniensis Academiæ Theologus, *Johannes Wandalinus.*

Priusquàm ad dijudicandos casus Romanorum Cæsarium, superiùs adductos, abeamus, præmittendæ aliquot distinctiones sunt ac limitationes, applicatu utiles exemplis. In donandis & donatis tria maximè merentur observari, *Donatio* ipsamet, ut actus; vel ut res, seu donum: *Donator* publicus, qui Imperator, Rex, aut Princeps nobis hîc est: & *Donatarius*, in quem donatio confertur. Donationis vox & indoles ex Interpretibus privati quidem juris addiscenda, sed non omni rerum publ. statui indeñnitè applicanda. Per donationes hîc non quaslibet, sed nimias, & profusiones justo largiores intelligimus. Res donata esto habilis ad usucapiendum, jureq; sit valida. Hæ aut rarò fiunt, aut frequenter: aut in Reip. perniciem & dignitatis præjudicium, aut non: aut præsupponunt antegressa merita, & vim remunerationis habent; aut per dolum, adulationem, clancula-

Distinctè  
de distin-  
ctis agitur  
b. l.

RIOS



rios amores & persuasiunculas emendicantur. Concedun-  
 tur porrò vel in rem, vel in personam tantùm & ad vitæ dies.  
 Consistunt deniq; vel in mobilibus corporalibus, vel immo-  
 bilibus, ut fundis, agris sylvis, prædiis, & incorporalibus, ut  
 juribus, privilegiis &c. Immodicæ donationes & frequen-  
 tes nimiùm profusiones, omnesq; illæ, quæ cum manifesto  
 publicæ salutis atq; dignitatis detrimento, nec tam propter  
 meritorum magnitudinem, quàm propter causas alias non  
 graves fiunt, & sunt meræ gratiosæ, jure meritòq; retractari  
 poterunt à Successore Principe. Quid liberius, quid clari-  
 us pronunciatu? Nunc *Donatorem* videamus; qui vel  
 successione Rex aut Princeps est; vel electione. Ille iterùm  
 vel jure sanguinis & naturalis vinculi succedit, vel Legalis:  
 ut Rex Galliarum, Legis Salicæ vigore, ubi Lilia non uent,  
 nec moritur Rex Franciæ, quantumvis absit filius. Hoc  
 sensu scripserat (*Bodino* teste i. de Republ. c. 8.) *Franciscus*  
*II. Rex ad reposcentes Patris debita Helvetios: Tametsi debita*  
*paterna solvere non teneamur, cum hæc sceptræ non heredi-*  
*tario jure habeamus, sed Regi à Lege, quæ jam inde à primis*  
*Francorum Regibus lata, ad mares proximos Imperium de-*  
*tulit; tamen ut fidem patris optimi tueamur &c.* Electi-  
 vus (ut Poloniæ Rex, aut Ecclesiasticus Elector Princeps,) si-  
 ne eligentis corporis consensu minimè tenetur id præstare,  
 quod suâ tantùm sponte Antecessor est pollicitus. Heredita-  
 rius vel absoluto gaudet Regno aliquo, aut Principatu, vel ad  
 fundamentales Leges, pacta reciproca, aut consuetudines  
 antiquas limitato. Ille sui juris est & manet, hic in omni-  
 bus non item; propter juramenti sanctitatem, aut adjectam  
 fortè clausulam, quam vocant commissoriam. Jam *Dona-*  
*tarius* vel dignus, vel indignus; vel persona unica, vel uni-  
 versitas, collegium, aut corpus est. Quo-tandem-cunq;e  
 nomine gaudeat, sit capax solummodò donationis factæ. De  
 colle-



collegiis corporibusq; integris benignius & sentiendum & definiendum. Quod si tamen usu veniat, ut donationes nimiae, insolitae, indebitae his sub-&-obreptitiè emendicentur; haud obligabitur Successor. Idq; causae extitit, cur *Ludovicus XI.* Rex Galliarum, cum immodicas Ecclesiis donasset opes atq; facultates, mendicantibus inprimis monachis, non transmiserit ad posterum effectum, teste *Cominao*. Indeque non planè nullam habuerunt causam *Galli* in comitiis *Rhotomagensibus*, An. 1617. distributos pessimè Ecclesiae obventus, conqverentes; populi sudorem sanguinemq; in venatica, in luxum, in amorum vana lubricaq; verti: quadrigas, ephebos Nobiles, equos phaleratos, supellectilemq; auream, & cetera id genus Episcopis ad nauseam esse per ingentes sumtus: *Gramondo* referente lib. 3. hist. Gall. p. m. 188.

Sed Imperatorum Romanorum aliquot donationes nunc examinemus. Locus memorabilis censendus est, quem in vita *Titi Fl. Vespasiani* prodidit memoria *Svetonius* c. 8. cum ex instituto *Tiberii* omnes dehinc *Cæsares* beneficia à superioribus concessa Principibus aliter **RATA NON HABERENT, QVAM SI EADEM IISDEM ET IPSI DEDISSENT, PRIMIS** praterita omnia uno confirmavit edicto: nec à se peti passus est. Vides, **DOMINE**, à primis fere incunabulis Imperatorum Romanorum lege cautum duraturâ & solenni per *Tiberium* fuisse, ne à prioribus concessa beneficia, nisi recens confirmata, rata haberentur. Fallor? an occasionem instituti hujus petiit *Tiberius* ab *Augusto*? Ita enim ipsemet *Tiberius* ap. *Tacit.* 4. Annal. 37. 4. omnia facta dictaq; *Augusti* vice legisse observaturum, dixit. Meminit edicti ejus quoque *Dio*.

Sed inprimis mihi placet *Plinii* ad *Trajanum* quaestio, & *Trajani* ex edicto *Nervae* ἀξιωματικῶν ἑστῶν responsum, lib. X Epist. 66. Quæsiverat Pro Consul *Plinius*: an *Flavii Ar-*

D

ehippi

Donationes atq; beneficia Imp. Rom. quatenus valuerint?



*ebippi, quem Philosophum appellat, beneficia concessa à De-*  
*mitiano, (pessimo Imperatore) confirmata etiam à Nerva,*  
*mereantur approbationem? Priora ex edicto Nervæ verba,*  
*brevitatis gratiâ, hic prætermitto, his contentus: NOLO*  
*EXISTIMET QVISQVAM, QVÆ ALIO PRINCIPE*  
*VEL PRIVATIM, VEL PUBLICÈ CONSECUTUS, I-*  
*DEO SALTEM A ME RESCINDI, UT POTIUS MIHI*  
*DEBEAT, SI ILLA RATA ET CERTA FECERO. EA*  
*DEMUM SCIANT ROGANDA ESSE, QVÆ NON HA-*  
*BENT. De Patre suo M. Antonio Phil. testatur Commo-*  
*dus apud JCTM. Modestinum: ὁ θεῖος τῶ πατρὸς παρὰ*  
*τῶν ὀφθῶν τῆν δὲ χεῖρῶν ἀπαύματι τὰς ὑπαρχίους ἡμᾶς καὶ*  
*ἀπλείας ἐβεβαίωσεν. Per duo igitur priora secula (ne de*  
*pluribus nunc laboremus,) Lex valuit confirmandorum*  
*beneficiorum apud Cæsares Romanos. Suæ ad eò vel im-*  
*prudentiæ inexplebili debebant imputare talia petentes,*  
*aut accipientes beneficia, quæ (ut ait Tacitus laudato supra*  
*loco,) neq; dari, nec accipi, salvâ republicâ poterant. Suf-*  
*ficiens hæc sanè ratio apparebat Galbæ, cur Neronis libera-*  
*litates nimias curaret revocandas. Subolsfecerat difficul-*  
*tates hæc Seneca, tot cumulatus à Nerone donis. Qyam-*  
*obrem ap. Tacitum, Annal. 14. 54. In hoc itinere vite,*  
*inquit, senex & levissimis quoq; curis impar, cum opes me-*  
*as ultrâ sustinere non possim, præsidium peto. Jube eas per*  
*procuratores administrari, in tuam fortunam recipi. Hoc*  
*quoq; in tuam gloriam cedit, eos ad summa vexisse, qui &*  
*modica tolerarent. Causa tamen favorabilis pro Seneca*  
*præceptore militabat, informatio fidelis in Philosophiæ*  
*parte regia. Hinc Alexander Aristotelem, cui puer tra-*  
*ditus formandus erat, veneratione maximâ prosequēbatur,*  
*dicens; se non minus illi, quam Patri debere; quòd à pa-*  
*tre equidem vivendi, à præceptore autem benè vivendi i-*  
niti-

*Opes Se-*  
*neca col-*  
*lata à Ne-*  
*rone me-*  
*ritone re-*  
*vocabiles?*



nitium accepisset. *Plutarch.* in illius vita. Nero ipse qualiscunq; deniq; evaserit, agnovit, *Tacito* id referente. *Tua erga me munera, dum vita suppetet, aeterna erunt: quae à me habes, horti, & fœnus & villa, casibus obnoxia sunt; ac licet multa videantur, pleriq; haudquaqvàm artibus tuis pares plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quòd precipuus caritate, nondum omnes fortunà antecellis. Hæc Nero fecerat; hæc sapienter & gratissimo in *Senecam* informatorem animo statuerat. Nam sacra illa sunt, quæ præceptoribus, intuitu fidelis magisterii aut ministerii, si voles, erogantur liberaliter. *Gregorius Leti*, Scriptor Italus (Italiâ proscriptus ob historiæ ac veritatis libertatem) memoratu digna aliquot exempla facientia huc, in vita *Philippi II.* Hispaniar. Reg. refert part. 2. libr. 21. p. 633. *Fece egli, Philippè* inqviens, *Primato della Chiesa di Spagna il suo Maestro al II. Hispano* esempio di *Carlo V.* chi elevò al Papato, cioè *Martin Silecio* Reg. alio- il primo, *Adriano VI. il Secondo.* Il numero de' Principi rumq; er- ch usano di generosità di questa maniera non è grande nel ga. *Præ-* mundo, & io non cognosco, ch' un *Alessandro* trà *Greci,* ptores li- un *Carlo V.* tra gli *Imperadori Latini,* & un *Filippo II.* trà beratium exempla. à *Re Catolici,* quelle diede ad *Aristotele* suo *Maestro* otto cento *Talenti,* somma immensa in quei tempi: *Carlo* non sistimò mai contento, sino che vide su il piu alto *Trono* dell' universo il suo *Maestro* *Adriano,* e *Filippo* in un *Primato* di tanti *Regni* il suo. Ho sempre inteso dire, che i *Rè* hanno le mani lunghe; e però dourebbero haverle più larghe, che lunghe. Verissimè affirmat Scriptor gravis, pauca hodiè exempla superesse ampliùs in Orbe, qui munificentiam *Alexandri M. Caroli V. & Philippi II.**



imitentur; cum recordari nihilominus deberent, oportere longas Principum manus ad liberalitatem etiam extendi erga bene meritos. Sed horum accenseri numero non sine laude maximâ *Vespasianus Titus & Trajanus*, Cæsares merentur.

\*  
Revocabi-  
les omni-  
nò sunt  
donatio-  
nes sine  
meritis  
expresse,

Inverso ordine res agi solet sæpiùs; ditantur ad similitudinem *Neronis Claudiiq;* obsoleti, *Narcissi & Pallantes*. Horum effusissimas donationes, quas insidiis & precibus extorsere liberalioribus Principibus, à Successore revocari posse, nunquam dubitaverim asserere. Accuratissimum *Philippi* monitum II. apud *Latum* loc. alleg. che i Principi ne devono rimunerare il merito delle Persone; non la loro inclinazione, che avevano, verso di quelle. Scilicet, effectus meritorum & laborum, non affectus gratiæ solius aut amoris occæcati stabilit remunerationem.

Et in  
fraudem  
Successo-  
rum im-  
pudenter  
atq; re-  
merè pro-  
fusa.

Et jam de talibus quid statuemus, qui cum *Caligula* nepotinis sumptibus prodigorum omnium ingenia (ut *Svetonius* testatur c. 37. in illius vita,) superare, quique por- tentosissima ciborum genera nec non cænarum, incredibilis- que luxûs pompas plurimas excogitare gaudent? Vel qui cum *Domitiano* sumtuosa & assidue magna spectacula, & præter citharedos, choro atq; psilocitharistas, [quæ *Tranquilli* de *Domitiano* sunt elogia] non modò fæmi- nas, sed virgines in studium adducunt & certamen. Aut qui cum *Heliogabalo* ex patinis aureis, in mensis argen- teis, super triclinares ex argento solido lectos cerebellis phœnicopterum, pavonum & lusciniarum lingvis, turdo- tum cerebellis, perdicum ovis, capitibus Phasianorum at- que psittacorum vesci, sed & aliquando tribus millibus sestertium cænare [ut immensæ prodigalitatæ alia exem- pla nunc prætereamus,] nulli dubitant; *Lampridio* in vi- tã ejus referente. An secutus Princeps satisfacere cogetur

tur



tur creditoribus, suppeditantibus luxuriei instrumenta?  
 Quis probaverit? quæ ut; à talibus profusæ ultrà omnem  
 modum sunt pecuniæ, cur non poterunt à successore repe-  
 ti revocarique?

Esto; sint hæreditarii hi Principes ac Principatus. *An hære-  
 ditariis  
 Principi-  
 bus hæc  
 integra?*  
 Num tamen propter Regem subditi, an Reges propter  
 subditos? Quis oves dixerit propter pastorem? quis non  
 pastorem propter oves? An introductæ Monarchiæ, ut  
 tantummodò uni soli & non posteris provideatur simul? Pes-  
 simè consuleretur Reipublicæ, si fateremur, esse integrum a-  
 lienare, id est, vendere, distrahere, donare, cuicui velis,  
 & quocunqve tempore? Sed quis resistat Principi, si pe-  
 tat istiusmodi, vel ausit? inqvies: cum sine lege sit lex  
 viva. Ego verò non is sum, qui statuatur eidem hætenus  
 resisti posse. Aliud, cavere sibi; aliud, injuriam inferre al-  
 teri. Illud omnibus Natura ratioq; indidit; hoc vetuit.  
 Sibi imputet proinde, si Imperium aut Principatum lace-  
 ranti adsit; talia suppeditando, & vicissim capiendo,  
 quæ [ut ait Tacitus prudenter,] *neq; dari, neq; ac-  
 cipi, salvâ Republicâ poterant.* Histor. 3. 55.  
 Suprema lex Legislatorem quoque obligans, est SALUS  
 POPULI. Præsentium duntaxat rerum, non futurarum  
 in hoc passu, obtinet administrationem. Rectè Lipsius  
 ap. Albert. dissertatione: *Reges non tam præesse, quàm  
 prodesse debent; nec tam sibi subditos, quàm se subditis da-  
 tos esse arbitrentur.* Etiam extremè barbari in Oriente  
 ac Meridie qui dominantur Imperantes, non impunè pa-  
 trant, aut, si ausint, ferunt talia, à Successoribus. Quan-  
 doquidem Naturæ jure sint obstricti, rem curare publicam;  
 si non per se, per alios intereà: cum & Domini servorum  
 curam habeant suorum.

D 3

QVO-



\*  
 Ex Imp. p.  
 Roman.  
 Lotharius  
 notatur  
 Saxo.

Quotusquisque non miretur nunc, aut pænè indignetur, si perceperit, Imperatoribus quibusdam nimiam religionem, imò superstitionem potius Romanâ captis placuisse, ut Imperii suamque Majestatem prostituerent, & paterentur Aquilas Romanas deplumari adeò à sacerdotibus? *Lotharius II.* fuit is, qui modis omnibus Pontificem ejusque cathedram evexit adeò. *Innocentium* Lugduni quâ exceperit indignâ Cæsare submissione, quâ prostratus etiam in genua humilitate, acceperit Imperiale diadema Romæ, ab insolentissimo *Servorum Servo, Dodechini*, Abbas *Urspergensis*, *Carolus Sigonius*, *Baronius*que memorant. Homagialis actus in palatio Lateranensi ab Imperatore præstitus, picturis elegantibus mandante *Innocentio* expressus, cum inelegantibus his rhythmis:

*Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores,*

*post homo fit Pape, sumit quo dante Coronam.*

Primus pariter hic fuit, qui provincias Imperii ab *Henrico I. & Ottone M. Vandalis* ereptas vendidit pecuniâ ingenti *Canuto* Regi Daniæ; *Lehman. 5. Chronic. Spirensis 45.* Plura de illius prodigalitate supra diximus. Hic loci [ne ad singula, quæ restant Cæsarum, *Rudolphi Habspergensis*, *Caroli IV. Wenceslai* destituti iterum, exempla parte quâdam odiosa, descendendum sit;] generatim liceat inquirere [I.] *utrum alienationem institueri fas sit, incon-*

\*  
 Alienare sultis penitus Ordinibus, aut populo non approbante? Illo-  
 utrum li- rum etenim, qui alienationem denique admittunt, plerique  
 ceat Ordibus i- exigunt consensum populi. Hinc *Vasquius* inclinatur il-  
 gnaris c. 15. n. 13. & 14. pariterque *Grotius 2. de J. B. & P. c.*  
 aut invi- 6, n. 4. Ac utinam non suis quisque hypothesebus inter-  
 is? viendo, sectaretur idem! Unde *Vasquium* ab ipsa aberrare  
 januâ, *Conringius* notavit 2. de finib. 1. cum poneret pro  
 dis-



disputationum fundamento, quod nulla non Respublica  
 coierit spontaneo civium arbitratu in communem homi-  
 num utilitatem; falso. *Gailii* sententia de Principis seu  
 Domini in præjudicium Vasalli, foedera & pacta temere  
 cum aliis non initari valet; nec est extendenda amplius.  
 Ad Grotium hæc annotat *Zieglerus*: in imperio herili  
 populi consensus necessarium haud esse; sed nec semper  
 in melioribus Rebus publ. nisi in Democratia sola, inq; a-  
 liis tunc, cum alienatio in salutem publicam non vergit.  
 Ideoq; si quid tale moliretur Imperans, consensus popu-  
 li captandum esse; cum conjicere in damnum cives  
 maxime inuitos, non sit integrum, *Conringio* monente  
 loc. alleg.

Plurimum omnino refert, scire, quid sit alienabile,  
 quid non in publico? deinde, quid in patrimonio, vel ar-  
 mis acquisitum, vel tutorio, ut ajunt, nomine administran-  
 dum Princeps teneat. Marchionatus atq; Comitatus feu-  
 da sunt ad Regnum pertinentia: *Ziegleri* inclyti sunt ver-  
 ba: plenè non habentur hæc, nec pro lubitu alienari pos-  
 sunt. Alibi ejusmodi Marchionatibus, & Comitatus  
 majoratus inest. Majoratus autem bona inalienabilia  
 esse, Doctorum est placitum. Vid. *Ant. Gomez.* ad l. Tauri,  
 40. n. 22. & 53. *Ludov. Molin.* de just & jur. disp. 470. n. 1.  
*Dominic. Soto* de j. & j. 4. qv. 5. Sic in *Galliis* Coronæ bo-  
 na inalienabilia haberi, docuit post multos alios, *Auberius*  
 prolixè; & nos infra de hoc argumento fusiùs agemus.  
 Quod acquisitum est armorum jure; ut residet in Impe-  
 rantis patrimonio, inuitis ignarisq; subditis alienari posse,  
 [et si negent *Peregrinus, Lancellotus, Camillus Borellus, Pe-  
 rez, Rosenthalius, Hottomannus, Heigius;*] videtur verita-  
 ti congruum. In Regnis enim patrimonialibus licere  
 Imperanti omnia, quæ conceduntur patri & familias in suo

Bona quæ  
 inaliena-  
 bilia, &  
 quæ alie-  
 nabilia?

pa-





patrimonio, existimat laudatus antea Zieglerus, ad 1.  
Grot. 3. n. 15.

Nisi addita expressè formula sit commissoria vel clau-  
sula derogatoria: e. g. *Stephano Batorio cum Polonorum*,  
Rex creatus esset, à Proceribus præscripta, ad hunc sensum:  
*Clausula derogatoria refrænat.* Et si [quod absit,] in aliquibus juramentum meum viola-  
vero, nullam mihi incola Regni omniumq; provinciarum u-  
niuscujusq; gentis obedientiam præstare debebunt. Imò i-  
pso facto eos fide & obedientiâ Regi debitâ liberos facio; ab-  
solutionem nullam ab hoc meo juramento à quoquam petam,  
neq; ultrò oblatam suscipiam; *Cbytra Saxon.* lib. 23. p. 628.  
Apud. eund. lib. 2. Chron. juramentum Regum *Sveciæ* ad id  
tempus obligaverat Senatam Regium, Episcopos, Nobiles,  
Cives, Vulgus, ut si Rex quicquam contrâ articulos pacti,  
committere, vel per alios designare ausus fuerit, sub ipsorum  
honore & juramento teneantur ipsi adversari. Gemina de  
juramento Regis *Dan. Christierno II.* ex libell. Ordinum  
*Dan.* deprehendes in *Carpzov.* de Leg. R. c. 14. sect. 5. n. 21.  
Certè, qui sub formula hâc commissoria accepit Regnum,  
non fuit, sed iudicio subjectus Ordinum. Li-  
cebit igitur alienandi ejus actibus contravenire. Urgent  
aliàs auctores non ignobiles petitum à Tutoribus exem-  
plum. Scilicet *Limnaus* præsupponit minis accuratè, Ro-  
manum etiam Imperatorem nudum Imperii Tutorem,  
*Reflène cum Tu-  
toribus  
Imperatorum atq;  
Regum  
compare-  
tur pote-  
stas?* Curatorem atq; Administratorem esse, & Rempublicam  
pupillam. Quem hoc nomine impugnat *Strauchius* dissert.  
de Oppign. Imp. §. 29. *Bechmannus* in Exercitat. exoteric.  
4. membr. 2. p. 194. Sententiæ huic, ait, pariter adstipulantur  
Leges Justinianæ. Sic enim *Paulus* Ictus in l. 3. pr. de off.  
præf. vigil. notanter scribit: Salutem Reipublicæ tueri, nul-  
li magis convenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Casarem.  
Unde etiam *Resp. pupilla* vocatur, l. 3. de jur. Reip. n. Tu-  
tores



tores autem nihil de bonis suorum pupillorum, nisi urgente  
 summâ necessitate, alienare possunt. l. contra 28. de pact.  
 tum demum enim pro Dominis rerum pupillar. habentur,  
 cum salutem & incolumitatem pupilli tuentur. l. tuta 27.  
 de admin. & peric. tut. l. 7. §. si tutor pro empt. Unde, eti-  
 am si pupilli seu minorenes damnum inde senserint, succur-  
 ritur illis per restitutionem in integrum. Et hac regula tuto-  
 rum etiam adstringit Imperatorem, tanquam  
 generalem Imperii tutorem. &c. Alii in fun-  
 damentales Imperii Leges & Imperatoris Majestatem  
 parum absunt ab injuria, qui nil nisi Administratorem faci-  
 unt Imperii, Imperatorem: alii non satis commodè philoso-  
 phantur, dum ad regulas privati juris statum publicum Im-  
 perii ipsumq; Cæsarem adstringunt. Etsi enim Regni no-  
 minet tutelam quoque *Grotius* 1. de J. B. & P. 3, 15. & de tu-  
 tela Regis cum in thesi, tum hypothesi non parum memo-  
 ret *Gutierrez* de tutel. part. 1, c. 18. id tamen aliter intelli-  
 gendum; atq; certum est, non extra tertium comparationis  
 extendendum simile tutoris; cum in Regnis patrimoniali-  
 bus in voluntate Imperantis omnia consistant: in non-pa-  
 trimonialibus familiari dispositioni soli parum relinqua-  
 tur.

Nihilominus fatendum, actûs Principis supremi statim *Alienan-*  
 irritos haud fieri, licet reum eum facerent perfidiæ; si qui- *di jus e-*  
 dem Majestatem habeat ex parte limitatè. Quod si abso- *volvitur*  
 lutè, absolutum regimen vicissim gradus varios agnoscit, *ex vario*  
 per quos unum altero habetur absolutius. Absolutissi- *habendò*  
 mum censendum, quod non modò liberrimum relinquit ju- *Majesta-*  
 rium majestaticorum exercitium, sed dispositionem in super- *tè modo.*  
 de futuro Successore, aut de alienandi libertate. Limita-  
 tum quoque Regnum ordines gradusq; habet, varios in qua-

E

libet



libet Republica, pro diversitate scilicet pactorum. In quacun- que autem Regi, qui & est & dicitur, alienandi jus expressâ non ademptum est conventionem, præsupponitur competere; nisi modis planè illegitimis alienatio probari possit contigisse. Majestas absoluti Principis à Deo est; & sola illa potest omnia, quæ Numini justitiæq; naturali non contrariantur. Placet & placebit semper illa mihi mens

*Laudatur Balsacii in Oper. Epist. l. 7. ep. 50. Il ne doit pas estre per-  
Sieur de mis, de parler passément de ce, qu'il y a de plus haut au des-  
Balsac in seus du ciel. Et la Royauté, qui a este adorcee toute seule,  
causa ex-merite sans doubt une double veneratōn, quand elle a par  
tollende compagne la vertu. On ne scauroit escrire du Roy en ter-  
Majestatis. mes trop relevez, ny trop magnifiques, & nous luy pouvons  
bien rendre pour une infinité de justes raisons ce, qu'on  
a rendu autrefois aux mechants Princes, pour le simple re-  
specte de leur caracteur. Post multa alia de Majestate sum-  
mi Principis insignia: Peto, inquit, solùm tibi in memoriam  
revocare velis, hunc esse stylum Imperii Rom. jam Christianâ  
religione imbuti; & non solùm Palatinos homines & Orato-  
res, sed & sanctos Patres & Consilia ita locuta esse. Addu-  
ctis hanc in rem exemplis aliquot subnectit denique: Modò  
honor, quo ipsos maectamus, in Deum non sit injurius, modum  
excedere non potest, nam si laudes, quibus ipsos afficimus,  
non peccent in eminentiorem Majestatem, immoderate esse  
non possunt. Convenit profectò honorare & umbras  
illorum. Quò propiùs quid eis est, hoc purius nobis &  
splendidius videri debet, ob radiorum, quos recipit, commu-  
nicationem. Veneratio & respectus, qui à nobis debetur, usq;  
ad colores eorundem, & servos se extendit;  
quin optimâ ratione ad omnia negotia ministrosq;*

Repeto



Repeto proinde: quicquid non explicitè est limitatum, id ad arbitrium Imperantis pertinet. Et quamvis aliis in casibus restricta sit potestas ejus; si tamen non sit etiam facultas alienandi comprehensa, integra videbitur relicta. Atq; hinc concludo: *quæcunq; Rex alienat rectè, illa rectè etiam promittit, atq; per promissionem obligare potest ad præstanda populum.* Promissio enim via ad alienandum est. Vid. eò in Observat. ad Grot. d. J. B. & P. 2, 14. Hen- niges.

Si speciatim nunc quærat: (2) *Utrum Imperator so-* De Imp-  
*lus etiam alienare possit aut potuerit provincias, urbes, di-* Roman.  
*gnitates, jura, & regalia?* non uno responderi modo debet. *jure alie-*  
*Aliud videlicet statuere Imperatoribus licebat à tempori-* nandi.  
*bus Tiberii ad Nervam & Trajanum usq; ; aliud sub hoc & Ha-*  
*driano; aliud sub aliis ad Constantinum M. usq; ; aliud sub*  
*Carolo & Ottone M. inter Francos atq; Saxones prædominan-*  
*tes; aliud sub Henricis atq; Fridericis ad epocham insignem*  
*usq; Carolorum IV. scil. & V. aliud sub his, & successoribus*  
*eorum. Si de distinctis agere distinctè deberemus hîc, res*  
*iret in Annales. Sed compendiarium sectemur viam.*  
*Primum à nato Servatore mundi seculum traductum est*  
*Monarchicè, successionis partim, partim postea electionis*  
*jure enitentibus ad summa rerum animis. Ergo cum ele-*  
*ctionem non Senatui relinquerent, aut populo, sed vi sibi*  
*raperent prætoriani milites ac legiones, quantum potestatis,*  
*vel auctoritatis speciosæ retinuerit Senatus, quis non videt?* Cōsularis  
*Multa Consulibus, multa Patribus indulserat honoris si-* atq; Se-  
*mulacra callidissimus Tiberius. Secuti Principes, quanto-* natoria  
*perè honorem Consulatus æstimârunt, satis ignominiosè (si* potestas  
*excipias Trajanum,) prodiderunt. Nec id illo saltem ævo.* Rom. sub  
*nam & Imperator Commodus flagitiosissimum quemq; in-* Imp- exi-  
*ordinem adscivit Consularem; inq; annum unum designa-* gua.  
*tis*



tis XXV. plerisque; luxu & intemperantiâ notatis, qui facultates integras vacuefecerant. Vulgari scommate ideò non lecti, sed relegati in Senatum dicebantur. Frequens inde puerorum Nobilissimorum cognomentum. *Gratianus* puer Nobilissimus, Collegâ *Digalepho* Consul creabatur, cum annorum quasi septem esset. *Honorius Theodosii Magni* è Coniuge *Placilla* filius, triennis puer, *Evodius* Collegam Consulem; *Theodosius II. Arcadii & Eudoxæ* filius *Rumordum* consortem dignitatis, Consul atq; infans habuit. De alienandi facultate igitur quis dubitet? si *Constantini M.* maximè divisionem inter filios expendat. Quanta sub *Justiniano* & antecessoribus illius fuerit Caesaribus potestas, ex immensis legum voluminibus patescit. Alia omninò res est quærere, quid Germanorum Regibus relictum fuerit hâc parte? cum non infinitam illis potestatem libertatis suæ tenacissimi tribuerint Germani, teste *Tacito*, & comprobante seculorum omnium historiâ. *Conringius* ô *παύ* argumentum hoc non obiter in opere præclaro *Finium Imperii* est persecutus l. 2. c. 19. §. 20. & seqq. *Quamvis*, scribens, *Cæsari in ea, quæ ipsi Cæsareo jure, propriè ita dicto competunt, dominium plenum fuerit; minimè tamen hinc sequitur, in reliqua omnia par illi jus esse. Sed nec facile probaveris, Cæsari hodiè, vi tituli Cæsarei ullum tale plenum dominium, convenire. Esto enim; fuerit illa Cæsarium olim potestas; hinc tamen colligere non licet, hodièq; illam superesse. Nam utiq; ut Romanorum omnia, ita etiam Cæsarium jura mutationibus sunt obnoxia. - - Certioribus igitur rationibus innixi, primum id quidem dubio credimus carere, saltim post Maximilianum id nominis I, nullam alienandi bona Imperii potestatem Cæsariibus superfuisse. Disertè enim id vetitum est iis legibus, quas secuti omnes sunt ad Cæsaream dignitatem admissi. Nonus Capitulationis, ut vocant, §. cum Carolo V.*

*Conringii  
laudatur  
locus.*



lo V. in ita nostrate Germanicâ linguâ ita sese habet: Zu dem und insonderheit sollen und wollen wir dem Heil. Röm. Reich und dessen Zugehörigen nicht allein ohn Wissen/Willen und Zulassen gemeldter Churfürsten sämtlich / nichts hingeben / verschreiben / verpfänden / versetzen / noch in andere Wege enteuffern oder beschweren / & quæ sequuntur. In sententiam eandem, aliquid legitur in Capitulationibus omnibus eorum, qui Carolo successerunt.

Deinde aliud omninò est, si alienatio consideretur ratione Ordinum Imperii, & ratione exterorum. Hæc omninò omnis interdicta, isthæc restricta ad necessitatem publicam casusq; extraordinarios æstimabatur olim. Optimè Clapmarius Arcanor. Imp. l. 5, c. 12. Telonia & vectigalia à Carolo IV. Ordinibus Imperii oppignorata, ideò non revocanda esse censet, quòd hic actus vehementer perturbaret Reipubl. præsentem statum. Infinitæ enim inde orituræ lites, pugnæ ac seditiones. Addimus nos: non ad exteros translata & ab Imperio avulsa istiusmodi alienata bona; sed collata in regentia meritaq; de Imperio præclare membra esse. Longè etenim deterioris Principes Imperii conditionis viderentur exteris Italiæ Principibus; quorum quæ abrafata est Imperio possessio, non fuit hæctenus turbata. Idq; rectè urget etiam in aliis similibus *Cæsarinus Fürstenerius* de Suprematu passim. *Rumelinus* pariter videndus Dissert. 4. ad A. B. part. 2. §. 5. nec non *Buxtorf.* in ad A. B. dissert. conclus. 7. *Hotomannus* item atque *Heigius*, in qq. illustribus uterque; ille quæst. 1. hic 5, num. 12. Credo, inquit *Severinus de Monzambano*, [cap. 8. de stat. Imp. Germ.] non paucis ad tenues satis casas redeundum fore, si de quibuslibet accessionibus tam superstitiosa ratio esset reddenda. Ergo equissimum fuerit, ut quilibet, quæ diu possedit, deinceps quoq; retineat. Quæ sacramenti confir-

\*  
Ordinibus  
Imperii  
alienata,  
temerè  
non revocanda.



mata fide sunt, & innituntur fundamentis Reipubl. non temerè mutari debent. Merentur hùc afferri, quæ in illustrium controversiar. Dissert. 4. §. 15. acutissimi iudicii Vir, *Strauchius Joannes* habet: *Bona Imperii, quæ ab Imperatoribus pignori fuere opposita, ita sunt confirmanda, ut juri re- luendi non sint obnoxia.* - - *Quod etsi aliquando fuit disputatum; in nuperâ tamen Pacificatione §. 9. cautum, est in hunc modum:* Quod ad oppignorationes Imperiales attinet, quùm in Capitulatione Cæsarea dispositum reperiatur, quòd electus Romanor. Imperator Electoribus, Principibus, cæterisque Statibus immediatis Imperii ejusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in eandem tranquilla & quieta possessione defendere debeat: conventum est, hanc dispositionem, donec consensu Electorum, Principum & Statuum aliter statutum fuerit, observandam esse, ac propterea civitati Lindau, nec non Weissenburg in Noricis, redditâ sorte, oppignorationes Imperiales ipsis ademptas, illicò & plenariè restituendas. Conferatur idem *Strauchius* in dissert. de Oppign. Imper. §. 33. & §. 35. ubi memorat exempla Cæsaris & Ordinum Imperii quorundam urbes & provincias oppignorantium: & §. 29. contra *Limnae*. nititur adstruere, ante tempora *Caroli V.* in arbitrio Imperatoris resedisse, res Imperii oppignorare.

*Feudalia an possint revocari?* Lis non minor sita in feudalibus à Successore revocandis. *Quæ feudi jure tenentur, illa, [verba sunt Conringii de finib. Imp. 2, 19.] si aliis concessa, num possint revocari à Successore, non potest ex solis naturæ institutis rectè decidi: quoniam omne feudale vinculum est civilis positivi juris; quod observandum esse ab eo, qui eo tenetur, naturalis est æquitatis.* - - *Maximus tamen Grotius l. 2. de jure bell. ac pac. c. 14. n. 7. statuit, posse subditis jus etiam quæsitum auferri*



ferri duplici modo: aut in pœnam, aut jure supereminentiis

dominii. Quod de jure additum *dominii eminentis* Dominii  
eminens.

fuit, quo pro lubitu auferri possunt subditorum bona, quoties videbitur, vel fictâ aliquâ necessitate, commodum, peculiari pro Imperio, contra eminentis dominium eliminavit dissertatione Ornamentum Leucoris Leiferus. Vindicare nihilominus opinionem Hornii tentavit Henniges ad Grotii citatum supra locum. Ego, si fateri verum debeam, edisseram liberrimè; subtiliorem multò, quàm utiliorem, de dominio eminenti, propter privatorum plurima incommoda, sententiam hanc esse.

Satis diu immorati fuimus Imperatorum & Imperii negotiis, alienandi causâ ponderatis. Nunc transgrediamur propiùs ad id, quod Regni Suedici attingit statum, de quo cum Tibi, DOMINE, accuratissimè jam constet, veniam merebor ego met, si summas tantum duxero hic lineas. In Legibus Sueonicis collectis per Ragualdum Ingemundi lib. 2. c. 2. sanctione In Regno  
Sueciae  
lis  
perorata,  
est de jure  
revocan-  
di.

publica permittitur *cuivis Successori revocare ea, quæ ab Antecessore concessa sunt.* Adhuc clariùs exprimitur concessa Regi imperanti hæc potestas in antiquis

Sueciæ LL. Provincialibus (*Swertes Landz, Lagh Konungs Balck* inscriptis,) tit. de Regib. c. 2. §. 1. Sensus idiomate Germanico donandus hic est: Nichtes von diesen vorhergehenden / das bisher gesagt / mögen Könige vor andern Königen verringern: Thut es ein König / so habe der König / so nachfolget / Macht / solches wieder zu fordern und zu nehmen / so er wil. &c. Quid clariùs? Quæ autem illa præcedentia & prædicta? Videlicet Upsala ödhe / i. e. fundi atque prædia mensæ Regum destinata: Kronones Godz / i. e. Coronæ bona, subjectaq; immediatè Regi:

Konungs



**Ronungs lifom/ rätt och Ingiäldom/** i. e. Regalia jura  
 reditusq;. Fallor? an **Ingiäldom** est villa aliqua domi-  
 nica, *mansumq; principale* in *Histor. Normannic. rer.* vid.  
*Voss. de vitiis sermon.* Nihil igitur iniqui, nihil novi sta-  
 tuit supremus Sveciæ & Regionum Regno. à tot seculis ne-  
 xarum moderator Rex, si repetat quod suum est, & jure ve-  
 tustissimo permittitur illius libertati atq; voluntati; quidni  
 etiam necessitati: nec committit ideò rapinam, si invitis  
 quoque auferat, quæ nulli sunt obnoxia præscriptioni, bona  
 scilicet Coronæ, privatorum nulli debita. Tum demum  
 lamentandi causam Ordines habere viderentur, si vel pacto-  
 rum, vel contractuum legitimorum sanctitas violaretur.  
 „ Ut enim ditescere ex aliorum damnis nullum decet ho-  
 „ minem; sic neq; Principem clementem, justum & magna-  
 „ nimum; propter subditorum lacrimas potissimum. Ad  
*Trajani Boccalini* commentarium in *historiarum I. Tacit.*  
*animadversionibus*, notatu dignum scholion *Ludovicus du*  
*May* retulit n. 325. *Pietro Matthei, Scrittore saporito della*  
*Storia di Francia, biasima i mezzi di trovar denaro dal Du-*  
*ca d'Alva ritrovati, e dice, che quel Signore scrisse al Rè,*  
*d' haver trovato pozzi e fontane, dalle quali usciva l'oro*  
*in grandissima abbondanza; ma soggiunge egli, che le lagri-*  
*me de sudditi furono piu abbondanti che l'oro, che ne ca-*  
*vò.* A tali scaturigine cumulandarum opum, lacrimarum  
 imbre rigatarum custodiat Imperantes bonos quosvis  
 Deus!

Regis Frã-  
 cia inali-  
 enabile  
 Domaniū.

Ad Gallos si excurreremus latius, verendum foret, ne  
 promissæ brevitatis migraremus limites. Quocircà liceat  
 ως εν παροδω hinc adjicere nonnulla. Generatim tradunt  
 Gallici Scriptores, Coronæ bona & Domanium nec admit-  
 tere alienationem, nec præscriptionem: Regem etiam ad  
 Domanii conservationem juramento se obstringere. Si  
 quid



quid vendatur in necessitatis casu, in perpetuum valere re-  
 luititionis sive redhibitionis clausulam. *Combienque le*  
*Roy a pleine entiere & libre administration de son domai-*  
*ne & droits dependans d' iceluy toutefois, cela s' entend*  
*sans le pouvoir aliener en tout, ny en partie. Et pour ceste*  
*cause le domaine de la Couronne, comme inalienable, est*  
*comparé à la tunique sans cousture, qui ne fut divisé;*  
 scribit *Bacquet* part. I. du droit de Franc. fiefs, chap. 14. p. 12.  
*Conf. & Bret de la Souver. du Roy l. 1. chap. 3. & livr. 3 chap.*  
*2. & Ragueau en l' indice des droits Royaux p. 237. Confi-*  
*tetur Rex Franciscus I. ipse in Notit. Regn. Francia apud*  
*Limna. l. 2. c. 8. p. 599. Considerantes nos domanium & patri-*  
*monium Corona Francia, tam lege Regni nostri, & constitu-*  
*tionibus Regum antecessorum nostrorum, quam lege civili*  
*& canonicâ, ac juramento, quod nos & nostri antecessores*  
*prestimus, & Reges Francia prestare solent tempore inau-*  
*gurationis, non posse alienari ullo modo, directè vel per indi-*  
*rectum, usu, possessione, usurpatione, detentione, aut alio me-*  
*dio acquisitionis: quandoquidem illud Corona nostra doma-*  
*nium pro sacro & extra hominum commercium esse censetur.* \*

Rationes has dum affert *Tholosanus*, non tam ponderat, *Pro sen-*  
 quàm numerat, de *Republ.* 8. quoniam (1) *Respub. perpe-*  
 tuum censetur esse corpus; E. & illius patrimonium. (2) *rationes*  
 Bona quæ committuntur Principi à Rep. subjecta restituti- *Tholosani*  
 oni sunt; alienari igitur in præjudicium non possunt Suc- *afferuntur.*  
 cessorum. (3) Bona Reip. pro dote Principi sunt data, pro  
 oneribus ferendis; exemplo rerum itaq; dotalium non pos-  
 sunt distrahi. (4) Principes ad Regnum venientes jura-  
 mento se obstringunt de non alienandis domanii bonis. (5)  
 Videtur hoc jus gentium esse; cum ferè Regna omnia utan-  
 tur eo. (6) Regis dignitas indivisibilis censenda: E. & annexa

F

digni-



dignitati Regiæ. Unâ tamen & vix alterâ exceptâ ceteræ sic sa-  
tis claudicant.

Præter enim id, quod confirmatum est jurejurando,  
argumenta reliqua non necessario concludunt, quod debe-  
bant. Redit semper quæstio videlicet; cur perpetuum  
Principis censendum patrimonium? cum tamen patrimo-  
nialia alienabilia vel privatorum; quidni Principum? De-  
inde, an & cur jus Gentium hîc allegandum sit? Quas de do-  
re & indivisibili Regis dignitate rationes affert *Tholosanus*, &  
similibus procedunt. Cur non potius ex eo efficaciter col-  
legit? quoniam regalia, in signum specialis eminentiæ refer-  
vata, sicuti & Principatus ac Imperia, regulariter præscripti-  
oni non obnoxia. Rebus sanctis & divinis scilicet annu-  
merari, propter originem caelestem, debent. Deinde &  
privati juris regulis non mensuranda publica; & tempus  
denique, naturâ suâ, nullam juris vim præscribit gentibus.  
Quis quæso fidem mancipet hîc *Schneidewino*, *Covarruvias*,  
*Vultejo*, *Rosenthalio*, *Arturo Duckio*, aliisque asserentibus,  
Regnorum jura & inseparabilem vim Majestatis disceptari  
ad prætorias acquisitionis formulas debere? Sapienter *Gro-  
tius*: 2. de J. B. & P. 4, 12. *Neque ullam vidi legem, inquit,  
civilem de præscriptione agentem, quæ summum Imperium  
comprehendere voluisse, probabiliter censerî posset. Unde  
sequitur, neq; tempus lege definitum sufficere ad acquiren-  
dum summum Imperium, aut partem ejus necessariam; si  
desint conjecturæ naturales: neq; tantum temporis spaciunt  
requiri, si intra id tempus ex conjecturæ, quantum satis est,  
adsint: neq; legem civilem, quæ acquiri certo tempore res  
vetat, ad res summi Imperii pertinere.* Conf. eò etiam  
*Job. Strauchius* dissert. Acad. 1. de Imperio maris c. 4. §. 4.  
& *Auberius* Advocatus curiæ *Parisiens.* libr. 1. c. 3. tractat.  
de la

Quanta  
vis Præ-  
scriptio-  
nis hâc in  
re?



*de la preeminence des Roys de France &c.* Scio, Viros celeberrimos (quos veneror,) præscriptioni etiam subesse Regna, jura publica &c. statuere; nec civilis tantum juris hanc inventionem æstimandam: sed pace eorundem dixerim, si non ex alio firmentur capite possessiones Principatûs, quàm præscriptionis titulo, parùm me movebit locus ex *Isocrate* de *Archidemo* & Messenam repetentibus *Thebanis*: aut responsum *Jephthæ* contra *Ammonitas* cap. XI. Judic. Præterquàm enim quòd non militandum tam exemplis sit quàm rationibus, Poëtis Oratoribusq; permittenda schemata tropiq; Per τὸ νομίζουσι præsumtionem arguit *Isocrates*. Quid juris hinc ad alios? Possessionis titulum defendit *Jephthæ* jure belli & armorum potius, quàm uti fundamentum in 300. Ann. poneret.

Sed contrahamus vela, & dum immodicas donationes Principum ac Successorum libertatem vidimus, consideremus horum obligationem etiam in debitis relictis. Altera pars argumenti nostri erat, DOMINE, hæc quidem extendenda latius; ast quoniam dependet à priori maximè, cogemus intra brevia sermonem reliquum. De debitis ad Successorem Principem transmissis si quæretur, an & quatenus Antecessorum pactis stare teneantur & contractibus? recurrit ad familiarem *Grotius* distinctionem inter regna, quæ in patrimonio, & quæ in usufructu sunt. Ex ista parte Successorem obligari asserit. Sed abstinendum ab hoc genere philolophandi. Illud quidem necessarium, ut dispiciatur, num Antecessori referat in acceptis Principatum? an eligenti populo? an neutri? De diversis diversimodè censendum. In tota successionis materia generalissimè id verum esse,

\*  
De Successorum obligatione in relictis debitis.

\*  
Meus  
Grotius



Henniges  
si,

Taboris,

judicavit Henniges ad Grot. 2, 14, 10. Successorem obligari factis & promissis defuncti, à quo obtinuit hereditatem. Et aditio hereditatis talis actus est, qui necessarium consensum infert negotia testatoris approbandi. Quare si Successor Principis anterioris fidem servatam noluisse, licuisset ipsi abstinere Regno atque Principatu. Quod si autem [ addit idem Henniges ] ambitiosam voluntate suscepit, unam operam se etiam ad prestanda ea obligavit, quae à praedecessore vel promissa, vel facta sunt. Privati juris Consultissimus Vir D. Job. Otto Tabor edidit de *Obligatione Successorum in officio* tractatum curam anxiam elaboratum; nescio, an satis commode ad publicorum casuum exempla applicandum passim? Afferamus in compendio sententiam illius. Distinguit primò inter *Principatum absolutum & independentem, & inter Principatum sive dignitatem Regalem aliam dependentem, & vel subjectionis, vel Vasallagii jure affectam*. Priori casu statuit subdistingendum esse cum DD. communiter; an Successor veniat ad Principatum *jure electionis, vel successionis?* Circa Principem electivum quaerit *vel de conventionibus, vel de concessionibus antecessoris*. Conventiones vel contractus celebratos esse *vel in rem & commodum privatum, vel in rem & utilitatem Reipublicae*. De prioribus communiter approbatam esse traditionem, Principem electivum seu electum regulariter non teneri ex contractibus antecessoris; quia jus suum non habet ab antecessore, sed à populo. *Si Principatus jure hereditario deferatur, successores in defuncti debitis teneri*. Ita Tabor; quem perstringit Henniges in plurimis, citato loco. Notassemus ipsi, nisi ipsemet fecisset, atque ostendisset *ἀνεργολογίας*, oculati alias censoris in errori-



roribus castigandis aliorum, Planius simpliciusq; lenia  
 animi Reinkingius expressit, lib. 1. de Reg. secular. class. 3. Reinkingius  
 cap. 10. per numeros complures. *Aut succedit Princeps, gii.*  
 ait, jure hereditario, & tunc antecessoris contractum ser-  
 vare obstringitur; quoniam ex qua persona quis  
 lucrum capit, ejus factum prestare debet.  
*l. ex qua persona, 149. de R. I. neq; heres potest ve-*  
*nire contra factum defuncti, cujus heredi-*  
*tatem agnovit; l. cum à matre, 14. C. de rei vindi-*  
*cat. Et ita Wesenbec. cons. n. n. 14. Hieronymusq; Schurf-*  
*fius 3. cons. 17. n. 6. Quia una quodammodo persona*  
*censetur heres cum defuncto; Novell. 48. in princip.*  
 Itaque sicut proprium factum quis impugnare non po-  
 test; ita nec antecessoris sui. *Jac. Schulz. in addit. ad*  
*Modestin. Pistoris p. 4. qv. 140. n. 6. & 8. atque Hilliger. in*  
*annot. ad Donell. lib. 20. c. 2. Idem postea Reinkingius*  
 prudenter: *Principum contractus* [ inquit, n.  
 36. & seqq. ] *quoad fieri potest, debent esse immoti,*  
 Canonist. & Dd. alii ib. allegati. *Quia sicut bonus Prin-*  
*ceps cupit mandata, contractus, & gesta sua à suis Succes-*  
*soribus observari; ita conveniens, ut ipse suorum antecess-*  
*orum pactis, conventionibus, mandatis & gestis venera-*  
*tionem prestet, & ea custodiat. -- Sic legimus Josuam,*  
*promissiones officii ratione factas à Mose, antecessore in*  
*regimine, exactè observasse & adimplevisse. -- Atq; in-*  
*de laudatur Tiberius Cesar, quòd omnia facta dictaq; Au-*  
*gusti vice legis observavit. Ita & Gregorius rescripsit*  
*Magnus: Si ea, inquit, destruerem, quæ ante-*  
*cessores*



AKT 1 1746

cessores nostri statuerunt, non constructor, sed  
eversor esse justè comprobarer. Omnia quacunq;  
vultis, ut vobis faciant homines, eadem & vos illis faci-  
te, Matth. 7, 12. Congruit naturæ lex: quod tibi non  
vis fieri, alteri ne feceris, Imperator ipsemet testatur:  
temerarium & absurdum fore, per astutam interpreta-  
tionem beneficia [debitaq;] Principum convertere ad di-  
minutionem. L. fin. circ. med. C. de præpos. agent. in  
rebus. Huic optimæ sententiæ nos planè acquiesci-  
mus, precati reverenter Numen, ut & valeas, & faveas!  
Scrib. Kalendis ipfis J. A. c13 I3 c LXXXI.

Vacuo explendo

Locis memorabilis ap. J. Jacob. Chifflet. in Vindiciis Hi-  
span: p. 126. huc facit, conferendus cum Conringi-  
anis verbis p. 36. adductis:

Tempore Maximiliani I. de terris Imperii intra Gallias re-  
superandis disquisitum; quæ disquisitio ita clauditur:  
Successione non acquiritur, sed electione Imperium, qua-  
re nec vendere, nec oppignorare, nec alienare potest Im-  
perator. Recipiendi vindicandiq; **JUS SEMPER  
EST SUCCESSORI & ELECTO-  
RIBUS.**



WMA

MC







2<sup>a</sup> RE  
REGNIQ  
Senato  
PER-IL-LS  
D.M.  
De O  
succellor  
Donationibus  
A  
Dilectis (incl  
Quidebat  
Fregius, ac  
Ex A. ad  
Typis  
Tac  
Sunt. quibus  
affertur r  
all

